



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Auxentius Abb. 14. Feb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

114 VITÆ SANCTORUM. 14. Feb.  
Angelos provocare. Cæterum dum Ter-  
ram sanctam petit JORDANUS, naufragus  
in medio mari portum reperit, appul-  
susque ad beatiorum est Solymam. Ex  
Surio.

*Debemus surgentes gratias Christo agere  
& omne diei opus in signo facere Salvato-  
ris, Nam in uno signo Christi omnium re-  
rum est tuta prosperitas: Qui in hoc signo  
seminare cœperit; vita fructum consequetur  
æterna, S. Max. de carn. host. non  
timend.*

S. AUXENTIUS ABB. 14. Feb.

AUXENTIUS, cùm eodem in con-  
tubernio non convenire Marti & vi-  
tæ innocentia perspiceret, ut DEO vaca-  
ret, vacationem à militiâ sibi impetravit.  
Neque arma tantum posuit, sed ut mise-  
rum contra frigus armaret, tunicam ex  
mendicabuli humeris suspendit. Aliàs  
quò pauperibus stipendia numeraret,  
operam suam inter opifices locavit.  
Oream deinde montem conscendit, at-  
que iterum, sed melior miles sub pellibus  
vixit, omni aliâ veste abjectâ. His hor-  
ridum pueri Pastores, cùm gregem a-  
missum quærent, feram putarunt. Sed  
ille, quâ erat in juventutem humanita-  
te, facilè se hominem probavit, imò  
homine majorem ostendit, cùm vates  
pueris absens edixit, quò greges aber-  
ras-

15. Feb. VITÆ SANCTORUM. 115  
rassent. Inter hæc celebrari ab accolis  
concurrentibus cœpit, cùm passim ægri  
venirent, sani redirent. Ipse Imp. Mar-  
cianus familiariter usus viro fuit, & ad  
Chalcedonense Concilium evocavit. Ibi  
dum Patres præstolatur, & velut impo-  
stor habetur, à columbâ cibum accepit.  
Verbis deinde ac miraculis Christi divi-  
nitatem & virginitatem Christi Matris  
propugnat. Obiit denique longâ patien-  
tiâ clarus, & vermes, cùm e putrido  
vulnere exciderunt, loco suo reponere  
solitus. Nos delicati vermium nomen  
horremus, sed mortui baculo scilicet (ut  
ille canes) abigemus. *Ex Metaphr.*

*Quid est parare viam Domini, nisi ad-  
ventanti de celo Judici, purgato à vitiiis  
pectore, simplicis cordis habitaculum præ-  
parare? Quid est rectas facite semitas  
ejus, nisi ut tales actuum tuorum tibi mu-  
neas vias, quas perambula e propitius ve-  
niens ad te Dominus delectatur? S. Ma-  
xim. hom. 1. de S. Joan. Bapt.*

SS. FAUSTINUS ET IOVITAM M.

15. Februarij.

Sub annum Christianum C. XXXII.  
cùm Brixienfis Pontifex Apollonius  
motu tyrannidis fugâ subduxisset sese,  
ne barbaro furori lacerandus Christi  
grex pateret, meliores in locum Pastro-  
res FAUSTINUS Sacerdos & IOVITA

H 2

Dia-